

Pergamena 7

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pergamena 7

14-02-1340

+ In nomine Domini Iesu Christi amen. Anno ab Incarnatione Eiusdem millesimo trecentesimo quatragesimo regnante domino, domino nostro Roberto, Dei gratia Ierusalem et Sicilie rege, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comite, regnorum eius anno tricesimo primo, feliciter amen. Mense february die quartodecimo eiusdem octave indictionis apud Criptolas. Nos Nicolaus de Achille, annalis iudex dicte terre Criptolarum pro anno presenti octave indictionis, Robertus de Maraldo de eadem terra Criptolarum, puplicus ubique per provinciam Basilicate, regia auctoritate notarius et testes subscripti atque signati, licterati et inlicterati, ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico concordie notum facimus et testando fatemur, quod, quedam questio seu controversia oriebatur extra iudicium inter iudicem Iohannem de Costa, actorem ex parte una et dompnam Palmeram de Potentia, uxorem notarii Iohannis de Albano ex parte altera, videlicet: quod dictus iudex Iohannes habere petebat eiusdem dopne Palmere ex successionem quondam iudicis Roberti filii eiusdem iudicis Iohannis et mariti dopne Palmere predictae, de bonis mobillibus et stabilibus, seseque moventibus, valentes communi exstimatione uncias auri sexaginta. Quas ipsa dopna Palmera habebat tenebat et possidebat de bonis eiusdem iudicis Roberti post mortem suam et mariti dopne Palmere iam dicti spectantes eiusdem iudicis Iohannis predicti. Et interveniente omnium amicorum ad huius cause tractatu ad transactionem et concordiam devenerunt videlicet: quod, idem notarius Iohannes, maritus eiusdem dopne Palmere daret solveret et numeraret et pro parte eiusdem dopne Palmere [eodem iudici Iohanni] in

carolensibus argenteis sexaginta per unciam computatis, uncias auri sex ponderis generalis per infrascriptos terminos, videlicet: in foro civitatis Venusii primo futuro quod fiet de mense mai uncias auri tres et reliquam quantitatem in foro Montis Pilosi eiusdem anni, quod fiet de mense agusti. Et idem iudex Iohannes et eius heredes quietaverunt liberaverunt et absolverunt eandem dopnam Palmeram et heredes suos; nec non et predictum notarium Iohannem, ab omnibus questionibus controversiis et causis que agere et movere poterat idem iudex Iohannes et eius heredes contra dopnam Palmeram et suos heredes et predictum notarium Iohannem pro bonis superius declaratis. Et e converso idem notarius Iohannes nomine et pro parte eiusdem dopne Palmere uxoris sue, quietavit, liberavit et absolvit eundem iudicem Iohannem et suosque heredes. Nec non et fideiussores positos per eundem iudicem Robertum et eorum heredes ex restitutione dotium datis et assignatis per eandem dopnam Palmeram eodem iudici Roberto tempore contracti matrimonii inter ipsum iudicem Robertum et dopnam Palmeram predictam; nec non ex repromissione dotarii seu messii promissi per quondam iudicem Robertum dopne Palmere iam dicte ab omnibus questionibus, litis et controversiis quas agere et movere poterant ipsa dopna Palmera et eius heredes contra eundem iudicem Iohannem et heredes suos; nec non et fideiussores positos per quondam iudicem Robertum pro bonis superius nominatis. Et pro omnibus adimplendis et inviolabiliter asservandis unus alteri ad invicem ad penam unciarum auri viginti quinque, stipulatione hinc inde inlteriecta, se voluntarie obligaverunt, medietatem ipsius pene curie et reliquam medietatem partem me predicto notario puplico mediante pena ipsa pro parte

curie sollepniter et legitime stipulante. Qua pena soluta vel non soluta aut gratiose remissa, omnia et singula in suo robore duratura. Et ad maiorem cautelam ambarum partium et eorum heredum idem iudex Iohannes et notarius Iohannes predictus iuraverunt ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, omnia et singula observare et adimplere. Preterea idem notarius Iohannes in nobis predictis iudice et testibus tamquam in suos expresse consensit, cum sciret ex certa sua scientia suos iudicem et testes in hac parte non esse nec se nostre iurisdictione esse subiectum. Et renuntiaverunt expresse partes easdem unus alteri ad invicem omni iuri et legis auxilio, consuetudinario, scripto vel non scripto, constitutionem editam vel edendam, episcopalem divi Adriani et legem sanantem, et omni alii iuris auxilio per quem presens obligatio posset in parte minui vel totaliter annullari. Et ut presens obligationis scripsi et fides debita valeat adhiberi ad cautelam et securitatem eiusdem dopne Palmere et notarii Iohannis predicti et heredum eorum, ad instantiam ipsorum presens scriptum puplicum exinde factum est instrumentum per manus mei predicti Roberti, puplici notarii per provinciam Basilicate regia auctoritate notarius, signo meo solito signatum, subsignatione vicem mei qui supra iudicis scribere nessientis et subscriptorum testium subscriptionibus seu subsignationibus roboratum. Superius autem abrasum fuit uhi legitur eiusdem iudicis Iohannis, ego idem notarius abراسي, conversi et emendavi, non vitio sed errore.

+ Signum crucis proprie manus Nicolai de Achille qui supra iudicis, scribere nessientis. + Ego Andreas de Ferrario interfui. + Ego dominus Petrus archipresbiter

interfui. + Signum crucis proprie manus Leonis Nigri
testis scribere nescientis. + Signum crucis proprie manus
Pauli de Marganito, testis scribere nescientis.